



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 135. Vtrum Angeli in corporibus assumptis possint exercere opera vitæ,
siue actus vitales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

nem plurium corporum, & applicationem aliarum causarum; sed hæc non sunt supra virtutem naturalem Angelorum; ergo &c. Confirmatur: nam dæmones assumunt corpora ad pessimos fines; ergo incredibile est Deum dare dæmonibus virtutem supernaturalem ad illa corpora formanda. Non tamen nego aliquando bonos Angelos assumpsisse aliqua corpora supernaturaliter effecta: exempli gratia corpus assumptum ab Angelo, qui nomine Dei alloquebatur Moysen, cum haberet lucem immentiam, & maiorem etiam luce Solaris, probabiliter formatum fuerat à Deo supernaturaliter operante.

17. Ad 1. patet ex dictis, quo pacto Angeli per motum localem possint assumere corpora affecta illis accidentibus, cum quibus apparent.

18. Ad 2. Iam dictum est corpora assumpta non fieri ex solo aere, sed ex aere localiter misto cum alijs corporibus, & etiam cum igne, itaut per missionem ignis possint esse lucida.

19. Ad 3. Ex verbis Christi, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, non probatur corpora phantastica non posse esse palpabilia, sed solum non posse esse palpabilia, sicut corpora habentia veras carnes, & vera ossa, ita ut palpan, & diligenter attendens possit ex diuersa sensatione, quam causant, discernere corpus verum à phantastico. Videri potest Vasquez 1. parte, quæst. 184. cap. 2. num. 12. vbi hanc doctrinam confirmat quadam Historia ex Caietano 2.2. quæst. 95. art. 5.

QVAESTIO CXXXV.

Virum Angeli in corporibus assumptis possint exercere opera vite, siue actus vitales?

S. Th. quæst. 51. art. 3.

1. **V**idetur, quod possint, primo quia in corporibus assumptis formantur oculi, carnes, & alia organa sensuum; sed frustra formarentur, nisi Angeli per talia organa possent exercere operationes vitales, & sensitiuas videndi, audiendi &c. ergo.

2. Secundo motus progressius est actus vitalis, ut docet Aristoteles 2. de anima, text. 13. sed Angeli in corporibus assumptis moti sunt motu progressiuo ambulationis &c. Dicitur enim Gen. 18. quod Abraham simul gradiebatur deducens Angelos, qui ei apparuerant; ergo.

3. Tercio locutio est actus vitalis; sed Angeli in corporibus assumptis loquuti sunt; ergo.

4. Quarto comestio est actus vitalis; sed Angeli in corporibus assumptis comederunt cum Abraham, ut dicitur Gen. 17. ergo.

5. Quinto generatio est actus vitalis; sed

dæmones incubi leguntur coisse cum mulieribus, & ex eis filios generasse; ergo.

6. Respondeo duo esse genera operationum, & actuum vitalium, qui exercentur per corpus, & per organum corporeum. In primo genere sunt actus vitales, qui etiam secundum suam substantiam non possunt exerceri, nisi per corpus viuum, quod per formam, qua viuit, se moueat ab intrinseco ad talem actum. Tales sunt operationes sentiendi, imaginandi, appetendi. Operationes enim sentiendi non possunt exerceri, nisi per corpus viuum, quod per formam, qua viuit, ab intrinseco se moueat ad sentiendum: exempli gratia operatio videndi non potest exerceri, nisi per oculum viuum, qui ab intrinseco se moueat ad videndum; operatio audiendi non potest exerceri, nisi per aurem viuam; operatio tangendi non potest exerceri, nisi per carnem viuam; operationes imaginandi, & appetendi non possunt exerceri, nisi per organum corporeum viuum. In secundo genere sunt actus, qui secundum substantiam videntur posse exerceri etiam per corpus non viuum, sed secundum modum particularem non possunt exerceri, nisi per corpus viuum; exempli gratia motus progressius pedum secundum substantiam motus videtur posse exerceri etiam per pedes non viuos, at secundum modum particularem, quo procedit vitaliter ab ipsis pedibus, non potest exerceri, nisi per corpus viuum. Isti actus secundum suam substantiam sunt indifferentes, ad hoc, ut sint vitales, vel non vitales, & constituuntur vitales per modum processionis: exempli gratia motus progressius pedum est indifferens ad hoc, ut sit vitalis, vel non vitalis, & constituitur vitalis per modum, quo procedit à pedibus ut actiue concurrentibus ad motum per formam, qua viuunt.

7. His positis, dicendum primò: Angeli in corporibus assumptis non possunt exercere actus ita vitales, ut etiam secundum substantiam non possint exerceri, nisi per corpus viuum, cuiusmodi sunt actus sentiendi, imaginandi, appetendi sensibilibus &c.

8. Probatur: nam actus sentiendi &c. non possunt exerceri, nisi per corpus viuum; sed Angeli non viuificant corpora, quæ assumunt, cum non sint forma corporis, sed illis purè assistunt, ut dictum est quæstione 128. ergo Angeli per corpora assumpta non possunt sentire, videre, audire, tangere, imaginari, appetere &c. & vniuersim non possunt exercere vitam ex operationibus, quæ ita sunt vitales, ut neque secundum substantiam possint exerceri per corpus non viuum.

9. Dicendum secundo: Angeli in corporibus assumptis possunt exercere actus, qui secundum suam substantiam sunt indifferentes ad hoc, ut fiant vitaliter, vel non vitaliter, sed non possunt illos exercere vitaliter. Probatur: nam Angeli in corporibus assumptis possunt mouere pedes motu progressiuo ambulationis, sed non possunt per pedes exercere talem

Ecc 2

talem

talem motum modo vitali, hoc est ita, ut pedes vitaliter concurrant ad talem motum: cum enim pedes assumpti non viuant in actu primo, non possunt se vitaliter mouere in actu secundo. Similiter possunt mouere labia, linguam, aut pulmones ad loquendum, & ad voces formandas, sed non possunt labia, & linguam mouere vitaliter. Possunt organa assumpta mouere ad ridendum, sed non possunt mouere vitaliter; ergo &c.

10. Quæres, utrum motus progressiuus, & alij motus locales viuientium iidem numero sint indifferentes, ut fiant vitaliter, vel non vitaliter.

11. Respondeo, quod si isti motus fiunt per actionem distinctam, & recipiuntur immediate solum in materia, non autem in forma, videntur esse indifferentes; si autem non fiunt per actionem distinctam, vel recipiuntur simul in materia, & forma, cuius sunt modi, non sunt indifferentes. Sed hæc sunt quæstiones, purè philosophicæ, ac valde incertæ.

12. Infertur, quid sit dicendum de sententijs aliorum. S. Thomas prima parte quæst. 51. art. 2. in corpore præmittit quædam opera vitalia habere aliquid commune, in quo conueniunt cum alijs operibus non vitalibus, & aliquid proprium, in quo differunt ab operibus non vitalibus ut locutio, quæ in quantum est formatio soni per motum localem labiorum conuenit cum alijs operationibus non vitalibus, in quantum autem est formatio soni per motum vitalem productum à corpore viuente, differt ab operibus non vitalibus. Hoc posito, docet Angelos talia opera exercere, in quantum habent illud commune, non in quantum, habent illud proprium, in quo differunt ab operibus non vitalibus. In responsione ad secundum dicit sentire, esse opus totaliter vitale, adeoque operationes sentiendi nullo pacto posse exerceri ab Angelis. Hanc sententiam sequitur Vasquez disp. 186. cap. 2. & nos secuti sumus, ac illud commune vocauimus substantiam operationis, proprium vocauimus modum operationis. Addi potest, quod si idem numero motus potest fieri vel vitaliter, vel non vitaliter, illud commune est commune physicè: si idem numero non est indifferens ad hoc, ut fiat vitaliter, vel non vitaliter, illud commune est commune solum logicè.

13. Durandus in 1. distinct. 8. qu. 2. nu. 1. docet opus vitale dici largè, & strictè. Opus vitale strictè est, quod non solum procedit à viuente, sed recipitur in viuente: opus vitale largè est, quod procedit à viuente, sed non recipitur in viuente. Angeli igitur in corporibus assumptis possunt exercere opera vitalia largè, non autem strictè. Cum enim corpora assumpta non viuant, operationes exercitæ per corpora assumpta, procedunt à principio viuente, sed non recipiuntur in subiecto viuente, ac proinde sunt vitales largè, non autem strictè. Hæc sententia dicit verum, sed

debuisset distinguere actus essentialiter vitales etiam secundum substantiam ab actibus secundum suam substantiam indifferentibus ad hoc, ut sint vitales, vel non sint vitales, prout nos distinximus ex S. Thoma.

14. Sanctus Bonaventura in 2. dist. 8. 1. p. dist. art. 3. quæst. 2. distinguit actus, qui debent procedere ab anima solum ut motrice, qualis est ambulatio, ab actibus, qui debent procedere ab anima non solum ut motrice, sed ut perficiente substantialiter organum corporeum, in quo fiunt, qualis est sensatio. Hoc posito, docet solum primum, non autem secundum genus actuum Angelos exercere per corpus assumptum. Addit dari etiam actus, qui secundum aliquid debent procedere ab anima solum ut motrice, secundum aliud ut perficiente corpus, qualis est risus, qui secundum motum labiorum procedit solum ab anima ut motrice, secundum quamdam exhilarationem sensibilem procedit ab anima ut perficiente corpus. Tales igitur actus, secundum id, secundum quod procedunt ab anima solum ut motrice, possunt ab Angelis exerceri in corporibus assumptis; secundum id, secundum quod procedunt ab anima ut perficiente corpus, non possunt exerceri in corporibus assumptis: puta Angeli possunt in corporibus assumptis exercere risum, in quantum importat motum labiorum, non in quantum importat exhilarationem sensibilem. Hæc etiam sententia verum dicit.

15. Scotus in 2. dist. 8. quæst. unica docet Angelos in corporibus assumptis non posse verè, sed solum similitudinariè ambulare, loqui, respirare, quia hæc includunt actionem vitalem: at concedit Angelos in corporibus assumptis posse verè comedere, quia comestio nihil aliud importat, quam quod cibus per vnâ partem diuidatur, & transmittatur in aliam. In hoc autem ultimo cum Scoto conueniunt Alexander, & Gabriel apud Vasquez disp. 186. cap. 1. in fine. Sed dicendum, quod Angeli propriè non comedunt in corporibus assumptis, ut iam explicabitur, soluendo obiectiones.

16. Ad 1. nego minorem. In corporibus assumptis formantur oculi, aures &c. non ut Angeli per ipsos exerceant opera sensuum, sed ut repræsententur virtutes intelligibiles Angelorum, per quas Angeli non quidem sensibiliter, sed intelligibiliter, & analogicè vident, audiunt &c. Addo in corporibus assumptis non dari oculos propriè, sed impropriè, & analogicè. Oculi enim propriè sunt organa apta ad videndum; sed oculi, qui dantur in corporibus assumptis, non sunt organa apta ad videndum; ergo propriè non sunt oculi, sed solum similitudinariè, & secundum quamdam analogiam.

17. Ad 2. distingo maiorem: motus progressiuus, quo mobile mouetur ab intrinseco per formam substantialiter coniunctam, est vitale, concedo; quo mouetur ab extrinseco per

QVAESTIO CXXXVI.

per formam purè assistentem, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Vt corpus moueatur vitaliter, debet moueri ab intrinseco per formam sibi substantialiter vnitam; sed corpora assumpta mouentur ab Angelo purè extrinsecè assistente talibus corporibus; ergo non mouentur vitaliter. Addo ex S. Thoma in responsione ad 3. quod licet Angeli moueantur per accidens, motis corporibus assumptis, tamen propriè non ambulant. Ambulare enim propriè est moueri in corpore sibi substantialiter vnito. Angeli igitur, qui gradiebantur simul cum Abraham, ambulant non verè, & propriè, sed solum similitudinariè, & apparenter.

18. Ad 3. distinguo maiorem: locutio propria est actus vitalis, concedo; locutio similitudinaria, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Loqui propriè est formare voces per motum organi corporei sibi substantialiter vniti; sed Angeli formant voces per motum organi non sibi substantialiter vniti; ergo non loquuntur propriè, sed similitudinariè, vt docet S. Thomas hic in responsione ad 4. Et quia sola locutio sensibilis propria est vitalis, locutio autem similitudinaria non est vitalis, idè Angeli in corporibus assumptis non loquuntur vitaliter.

19. Ad 4. distinguo maiorem: comestio propria est actus vitalis, concedo; comestio similitudinaria, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Comestio propria est, per quam viuens diuidit, ac deuorat cibum per organa sibi substantialiter vnita; sed Angeli in corporibus assumptis diuidunt, & deuorant cibum per organa sibi substantialiter non vnita; ergo non comedunt propriè, sed similitudinariè. Idè Raphael Tob. 12. dixit. *Cum essem vobiscum, videbar manducare, & bibere; sed ego inuisibili cibo, & potu vior.* Comestio solum similitudinariè non est vitalis.

20. Ad 5. Generatio propria est, per quam aliquis generat per organa sibi substantialiter vnita, & per semen à se decisum; sed dæmones incubi non coeunt cum mulieribus per organa sibi substantialiter vnita, nec decidunt ex se semen, sed solum possunt matri mulieris, cum qua coeunt, immittere semen decisum ab aliquo viro, cum quo coierunt vt succubis; ergo non generant propriè, & vitaliter, sed solum apparenter, & similitudinariè, & qui generantur, non sunt propriè filij dæmonis, sed illius viri, à quo decisum est semen. Quod autem dentur dæmones incubi probat S. Thomas in responsione ad 5. auctoritate Augustini lib. 15. de ciuitate, cap. 15.

Vtrum soli Angeli, an etiam Deus in veteri, vel nouo testamento apparuerint aliquando in corpore phantastico assumpto?

1. Primò videtur Deus saltè in veteri testamento nunquam apparuisse. Nam apparitiones, quibus in Scriptura Deus dicitur apparuisse, ab eadem Scriptura tribuuntur Angelis; ergo verè Deus non apparuit, sed apparuerunt Angeli representantes Personam Dei, & loquentes nomine Dei.

2. Secundò videtur in veteri testamento apparuisse solum persona Filij, persona Patris, & Spiritus Sancti nunquam apparuisse. Sola enim persona Filij debebat apparere sensibilibiter in corpore substantialiter vnito per incarnationem; ergo sola persona Filij ad incarnationem figurandam debuit apparere in veteri testamento. Idè Concilium Syrmient. Can. 14. & 15. apud Hilarium lib. 1. de Synodis definit sub Anathemate fuisse Filium, & non Patrem, qui Abraham apparuit, & cum Iacob luctatus est; ac plures Patres, quos affert Suar. lib. 6. de Angelis, cap. 20. num. 7. & 8. docent solum Filium in veteri testamento apparuisse.

3. Tertiò videtur Deus aliquandò in veteri testamento apparuisse sine ministerio Angelorum. Sapè enim in Scriptura dicitur Deus apparuisse, & non fit mentio vllius Angeli; ergo tunc immediatè apparuit sine ministerio Angelorum.

4. Quartò videtur Deus in veteri testamento ita apparuisse, vt assumpserit corpus phantasticum, proportionaliter, ac assumunt Angeli, vt dictum est qu. 134. Filius enim Dei in nouo testamento apparuit in corpore, cui substantialiter vnitus fuit per incarnationem; ergo conueniens fuit, vt in testamento veteri, quod fuit figura noui, appareret in corpore phantastico ad figurandam incarnationem.

5. Respondeo quinque præcipua dubia esse examinanda. Primum est, vtrum Deus in veteri testamento vnquam hominibus apparuerit. Secundum vtrum sola Persona Filij apparuerit, an etiam aliæ Personæ. Tertium vtrum omnes apparitiones veteris testamenti factæ sint ministerio Angelorum. Quartum vtrum Deus ita apparuerit, vt assumpserit corpus phantasticum. Quintum, quid dicendum sit de apparitionibus factis in nouo testamento.

6. Quæritur igitur primo, vtrum Deus in veteri testamento vnquam apparuerit.

7. Respondeo Malonium in 2. dist. 8. disput. 4. referre opinionem quorundam, qui dixerunt Deum nunquam in veteri testamento apparuisse, ac pro eis citat Gabrielem, in 2. dist. 8. quæst. 1. art. 2. Sed Gabriel eo loco non negat, sed concedit Deum apparuisse, ac solum negat Deum ita apparuisse, vt assumpserit